

Franckesche Stiftungen zu Halle

**Christiani Mündenii S. Theol. D. Et In Acad. Ivlia Prof. Ord.
Selectae Theses Theologicae Vniversam Doctrinam
Christianam Exhibentes**

Muenden, Christian

Helmaestadii, 1730

VD18 13487477

Liber Primus De Fundamento Et Principio Doctrinae Christianae.

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)



Q. D. B. V.

LIBER PRIMVS

DE

FVNDAMENTO ET PRINCIPIO
DOCTRINAE CHRISTIANAE.

CAPVT PRIMVM

DE

RELIGIONE ET THEOLOGIA.

§. I.

Religio non tantum numinis *cultum* denotat, verum etiam *agnitionem* eius includit, estque *obligatio hominis ad verum Deum recte agnoscendum, et ex ipsius voluntate colendum.*

§. II.

Deum ab homine cultu religioso prosequendum esse, ratio, et ex Dei existentia, et ipsius hominis, a Deo conditi, atque intellectu ac voluntate praediti, consideratione

A 2

co-

cognoscit. Religio ergo in se spectata, non ab hominibus excogitata, nec in eorum arbitrio posita; multo minus ad alios decipiendo invenia: sed animis hominum, ipsa natura duce, insita est.

§. III.

Ratio enim euidenter satis agnoscit, dariens perfectissimum, independens, et infinitum, Deum, vnicum, et supremum omnium rerum auctorem ac moderatorem: eundemque non solum cultum externum, publicum et priuatum, ac externa honestatis opera; sed etiam perpetuum cultum internum, et pios animi motus, sincerum scilicet amorem, venerationem summam, spem atque fiduciam in ipsis auxilium collocandam, adorationem et gratiarum actionem; nec non temperantiam intuitu nostri, et iustitiam, charitatem, aequitatem, ac humanitatem erga quosvis alios exigere: proque iustitia ac benignitate sua benefacta remunerare; peccata vero et scelera punire: et, cum homines in hac vita vtrumque saepius non experiantur aut sentiant, post hanc vitam poenas aequae ac praemia exspectanda esse, adeoque animam superesse post eius discessum a corpore.

§. IV.

Agnoscit etiam, hominem ad Deum debita

bita ratione colendum obligatum esse, cum propter essentiae diuinæ dignitatem, tum propter suam ipsius felicitatem, et supremi legislatoris, eandem promouere cupientis, voluntatem.

§. V.

Et ex hac agnitione oritur *naturale conscientiae dictamen*, quod homines de peccatis, contra ista numinis praecepta commissis, conuincit, et ab eiusmodi peccatis perpetrandis nunquam non retrahit, si modo eidem obsequi velint. *Lumen autem aliquod, aut verbum internum vniuersale praeter hoc conscientiae dictamen perperam asseritur.*

§. VI.

Etsi autem longe verissima sint, quae recta ratio de Deo eiusque cultu tradit: hanc ipsam tamen agnitionem ad salutem post lapsum consequendam non sufficere, ex ipsius imperfectione ac infirmitate, et praesertim, quia medium placandi Deum ignorat; nec non ex sacrae scripturae testimoniis, (Hebr. XI. 6. Rom. X. 12 - 14.) euidenter probari potest.

§. VII.

Nihilo secius vsu suo non destituitur. Nam (1) fundamenta omnis religionis commonstrat: (2) characteres, quibus religiones, quae reuelatione nituntur, discerni queant,

6 LIBRI PRIMI CAPVT PRIMVM

suppeditat : (3) ad veram reuelationem inquirendam riteque inueniendam, paedagogiam homini praebet pulcherrimam, eumque (4) reddit inexcusabilem.

§. VIII.

Ratio enim reuelationis necessitatem agnoscit, et verae reuelationis characteres constituit ; nempe, quod (1) nihil euidentissimis religionis naturalis notionibus contrarium continere ; (2) defectum ipsius supplere ; (3) diuinam in omnibus maiestatem praese ferre ; et (4) cum ad omnia tempora, tum ad omnes et singulos homines pertinere debeat.

§. IX.

Ex his ipsis characteribus perspectum exploratumque nobis esse potest, religionem *patriarcharum*, cuius praecipuum caput fuit doctrina de Messia promisso, quem sacrificia adumbrabant, verissimam : gentilium autem religionem, ex traditione et ratione mirum in modum corrupta exortam, falsam fuisse.

§. X.

Ex iisdem characteribus probari potest, religionem *Mosaicam*, siue *Israëliticam* fuisse veram. Et sâne, quae ad ipsam religionis essentiam spectant, a patriarchali non differt. Foedus autem particulare cum Israëlitis

litis hac potissimum de caussa initum est, ut doctrina religionis reuelatae apud alias gentes successu temporis exstincta, per Iudeos conseruaretur ac propagaretur, et desiderium Messiae in ipsis excitaretur.

§. XI.

Ex iisdem denique characteribus *religionis christiana*, quae sola post Christum natum diuina religio est, veritas demonstrari potest. Quoad substantiam enim christiana religio eadem est cum patriarchali et Moysaica; maiore tantum luce collustrata. Mysteria etiam, siue dogmata supra rationem posita, quae religio christiana profitetur, ut scitu necessaria, eaque de caussa reuelanda fuerunt; ita omnino sunt admittenda. Cumque tot vaticiniorum veteris testamenti complementum sit euidentissimum; cum testimonia extraneorum quoque hominum non defint, facta, quibus religio christiana nititur, vera esse confirmantium; cum testimoniū domesticorum auctoritas et *ἀξιοπιστία*; cum denique mirabilis christiana religiosis propagatio extra controuersiam posita sit: de veritate religionis christiana dubitari non potest. Fallā autem est omnis religio eorum, qui Christum pro redemptore generis humani non agnoscunt.

§. XII.

Sic etiam nostra, quae discretionis gratia religio *Lutherana* dicitur, cum scripturae sacrae noui atque veteris testamenti soli initatur, eiusque ductu inter errorum praeципitia medium teneat; praeterea solidissimam certissimamque in omnis generis temptationibus consolationem praebeat; et solius Dei gloriam in omnibus quaerat: prae reliquis digna est, quae verae religionis christianaे titulo compelletur.

§. XIII.

Omnes autem veritates, quas religio christiana profitetur, intuitu finis sunt practicae; respectu significationis vocum autem distinguuntur in *credenda* et *agenda*. Credenda dicuntur articuli fidei, siue partes doctrinae caelestis diuinitus reuelatae, per cuius scientiam ad fidem deducimur, et huius ope ad salutem, quas indubitate assensu amplecti debemus. Agenda sunt ea omnia, quae Deo, nobismet ipsis, et aliis quibusuis praestanda, vel omittenda.

§. XIV.

Articulorum fidei alii appellari solent *puri*, qui ex sola reuelatione: alii *mixti*, qui quidem ex ratione etiam constant; in credendis tamen ponuntur, quia ex reuelatione certius, ple-

pleniusrque cognoscuntur, et eatenus, quatenus reuelati sunt, fide sunt recipiendi.

§. XV.

Porro cum non omnes articuli fidei eiusdem sint necessitatis ad salutem consequendam, ratione nexus illius, quem habent cum Christo, vnico salutis nostrae fundamento, (1. Cor. III. 11.) *fundamentales* sunt alii, alii *non fundamentales*. Vtrum ergo disertis verbis in scriptura sacra tradantur, aut necessitatis notam additam habeant, aut in symbolo apostolico contineantur, nec ne, in di-
gnoscendis articulis fidei fundamentalibus non est respiciendum.

§. XVI.

Fundamentales articuli fidei rursus sunt duplicitis generis. Alii enim vel ipsum fundamentum fidei tanquam partes constituunt, vel cum ipso euidenter sunt connexi. Et hi dicuntur *primarii*, qui salua fide et salute nec negari, nec ignorari possunt. In aliis vero nexus cum fundamento fidei tam euidens non est, hinc salua fide et salute ignorari quidem possunt, non autem negari; et hi dicuntur *secundarii*.

§. XVII.

Hisce opponuntur *articuli non fundamentales*, siue *quaestiones*, quae, cum nec dire-

cte, nec indirecte fundamentum fidei attin-
gant, salua fide et salute ignorari, ac in vtram-
que partem ventilari possunt, modo ipsi reue-
lationi sua relinquatur dignitas, nec prauus
animi affectus accedat, qui cum vera fide con-
sistere nequit.

§. XVIII.

Articulorum autem fundamentalium ne-
xus et concentus dicitur *analogia fidei*, quae
ex clarissimis scripturae locis, praecipua fa-
lutaris doctrinae capita euidenter tradenti-
bus, est haurienda, et regulam constituit, ad
quam omnia dogmata sunt exigenda.

§. XIX.

Et ab his articulis fidei nullo modo sepa-
rari debent *agenda*, siue ea, quae nos Deo
debemus, vt cultus ipsi recte praestetur, et
omnis actio nostra, cum respectu ipsius Dei,
cum intuitu nostri, et aliorum, ad nutum et
voluntatem supremi numinis instituatur.

§. XX.

Vtraque, et credenda, et agenda, tradit
Theologia, quae est *scientia practica ex diui-
na reuelatione docens*, confirmans ac defendens
ea omnia, quae homini peccatori ad con-
tritionem, fidem in Christum, et sanctimoniam
vitae sunt necessaria, vt ad aeternam
beatitudinem perueniat.

§. XXI.

§. XXI.

Theologia, si vim vocis spectes, recte diuidi potest in *archetypam* et *ectypam*; si vsum loquendi, tantum est hominum, et quidem viatorum, siue in hac vita adhuc veram salutem quaerentium, prout ex reuelatione constat, et omnia homini saluando scitu factuque necessaria complectitur.

§. XXII.

Scientia dum dicitur theologia hominis, in hac mortalitate constituti, intelligitur cognitio (1) *vera*, et scripturae sacrae accurate consentiens, siue *orthodoxa*; (2) *certa*, ex evidentia testimonii sacrae scripturae, quae omnibus demonstrationibus mathematicis est praferenda; et (3) *viva* et *efficax*, ut hominem ad id, quod agendum vel omittendum cognoscit, incitet, et obsequium legi diuinæ conforme, ac rerum diuinarum experientiam operetur.

§. XXIII.

Verae ergo theologiae opposita sunt (1) *Omnis ματαιολογία*, siue *falsa* et *erronea doctrina* de Deo rebusque diuinis, et *omnis indifferentismus religionum*; nec non (2) *scepticimus*; quin et (3) *otiosa atque mortua cognitio*, quae theologiae nomine merito indigna habetur.

§. XXIV.

§. XXIV.

Ad rerum diuinarum, circa quas theologia versatur, prout ex reuelatione constant, notiam perducendus est homo peccator, viribus gratiae destitutus, et in peccatis mortuus, ut ad fidem in Christum, vitamque spiritualem, quam contritio praecedet, et sanctimonia vitae sequitur, excitetur; et viribus gratiae instructus, in fide conseruetur ac corroboretur; tandemque in fide decedens, aeternae salutis consummataeque beatitudinis particeps reddatur.

§. XXV.

Sicuti autem theologia et fides omnino differunt; sic non omnis christianus est theologus, quamuis omnis theologus esse debat veri nominis christianus, veraeque fidei particeps; sed is demum theologus appellatur, qui facultate, veritates caelestes ex sacris literis eruendi, docendi, probandi ac defendendi praeditus est. Et haec a Deo datur; ab homine vero multis precibus, meditationibus, et temptationibus est acquirenda.

§. XXVI.

Hac facultate si quis polleat, qui vitiis redditus est, veram quidem et scripturae sacrae consentaneam de Deo rebusque diuinis mente sua concipere potest sententiam; veram quoque et orthodoxam aliis non sine fru-

.VIX.

fructu tradere theologiam; sed sicuti illa cognitio in ipso non est efficax et salutaris; sic vita impia et moribus corruptis saepius plus destruit, quam orthodoxa scientia aedificat.

§. XXVII.

Si rationem tractandi spectes, theologia dicitur *exegetica* et *homiletica*, quae libros biblicos, vel dicta scripturae recte explicare, et dogmata in illis contenta perspicue apteque tradere et applicare docet. Quando autem dogmata et praecepta religionis christianaee certo quodam ordine exhibentur, theologia vel ad captum simpliciorum accommodatur, vel methodo exquisitiore et accuratiore traditur. Illa dicitur theologia *catechetica*; haec *systematica*, siue *acroamatica*, et suo utraque in pretio est habenda. *Systematica* rursus hodie a nonnullis in *theticam*, siue *positiuam*, aut *dogmaticam*, in qua credenda proponuntur; et *moralem*, siue *practicam*, in qua agenda tractantur, distinguuntur, licet vniuersam theologiam *practicam* esse ab omnibus concedatur.

§. XXVIII.

Systematica theologia non vna methodo adornatur, et modo selectis scripturae sacrae locis; modo ex solis libris, vel veteris, vel noui testamenti; modo ex vnico libro biblico

blico, vel ex solis verbis Christi; modo ex unico dicto biblico probatur; modo ex prophetiis et typis veteris testamenti concinnatur. Et quando ex scriptis et sententia veterum doctorum ecclesiasticorum componitur, vel dogmatum historiam tradit, theologia *patristica* et *historica* appellatur. *Symbolica* vero theologia dicitur, quae ex libris symbolicis vel confessionibus, aut integrarum ecclesiarum, aut singulorum quorundam hominum desumitur.

§. XXIX.

Sic theologia, quae doctrinae christianaे veritatem tuetur, et dissentientium errores discutit, *polemica* vel *elenchitca* dicitur, estque vel generalis, vel specialis. Theologia autem, quae de casibus conscientiae praecipit, *casuistica* vel *conscientiaria*; quae exercitia pietatis, vitamque christianam dirigit, *ascetica*; quae per triplicem viam, quam purgatiuam, illuminatiuam et uinitiuam dicunt, ad arctissimam cum Deo uisionem, et sublimiorem contemplationis Dei gradum deducit, *mystica*, in puram hodie et impuram discernenda; quae denique ministrum ecclesiae instruit, *pastoralis* appellatur. Verum cum hae posteriores, tum prior illa theogiam tractandi ratio, ad ea doctrinae christianaē capita facile referri possunt, quae in illis tantum copiosius exponuntur.

§. XXX.

§. XXX.

Nostrum est, ut rationis lumine recte vtamur, et reuelationis beneficium grata mente agnoscamus: ut omnem atheismum, naturalismum, indifferentismum et fanaticismum fugiamus; nec perinde esse statuamus, quamcunque aliquis de controuerfis religiosis capitibus sententiam teneat, sed veritatem sedulo inquiramus, reuelatamque magni faciamus: ut Libertinismum practicum, siue pruritum, quicquid vel ingenio nostro gratum, vel moribus huius saeculi conforme est, agendi, peste perniciosiorem esse persuasum habeamus; et studium theologicum ita inchoemus atque tractemus, vt Deum tota mente colendi propositum quotidie in nobis excitemus, et, non obstantibus impedimentis ac impiorum exemplis, magis magisque exsequamur.

TABVLA SYNOPTICA.

I. *De RELIGIONE agitur §. I-XXIX. ubi*

1. *Definitio §. I.*

2. *Diuisio. Est enim*

1. *Naturalis, cuius notanda est*

1. *origo et fundamentum. §. II.*

2. *partes. §. III. IV.*

3. *effectus. §. V.*

4. *insufficientia ad salutem. §. VI.*

5. *vñs. §. VII.*

2. *Reuelata. Et hic*

2) Re-

- 1) Reuelationis necessitas, veraeque reuelationis characteres ponuntur. §.VIII.
- 2) Religionis reuelatae veritas demonstratur, et quidem
 1. patriarchalis. §.IX.
 2. Mosaicae vel Israëliticae. §. X.
 3. christianaæ §. XI.
speciatim Lutheranae. §. XII.
- 3) Obiectum illius
 1. generatim ponitur. §. XIII.
 2. speciatim deducitur
 - 1) resp. credendorum s. articulorum fidei, qui
 1. vel puri vel mixti. §. XIV.
 2. vel fundamentales, vel non fundamentales, vbi
 3. fundamentum diuisionis ponitur. §. XV.
 2. fundamentales rursus diuiduntur. §. XVI.
 3. non fundamentales describuntur. §. XVII.
 4. quid sit analogia fidei iudicatur. §. XVIII.
 - 2) resp. agendorum. §. XIX.

II. De THEOLOGIA agitur. §.XX-f. vbi

1) Definitio.

1. ponitur. §. XX.
2. explicatur, nempe
 1. quaenam theologia hoc loco describatur. §. XXI.
 2. qualis scientia intelligatur. §. XXII.
 3. quaenam sint opposita theologiae. §. XXIII.
 4. quodnam obiectum, subiectum et finis theologiae. §. XXIV.
 5. quid theologum faciat. §. XXV.
 6. quid de theologia hominis irregeniti statudum. §. XXVI.
- 2) diuersa theogiam tractandi ratio. §. XXVII-XXIX.
- 3) monita practica. §. XXX.

LIBRI

LIBRI PRIMI

CAPVT SECUNDVM

DE

REVELATIONE SPECIALI ET
SCRIPTVRA SACRA.

§. I.

Reuelatio *specialis* est, qua Deus certis quibusdam hominibus voluntatem suam de medio et ordine aeternam consequendi salutem ; vel, doctrinam de seruatore, qui solus homines peccatores cum Deo reconciliare debuit et potuit, hoc est, ut unico verbo utamur, *euangelium*, singulari prorsus ratione manifestauit, ut via et ordo salutis omnibus innotesceret.

§. II.

Haec *specialis* reuelatio, uti statim post lapsum necessaria fuit, ita statim cum poenae denunciatione coniuncta, et successu temporis non tantum propagata, sed etiam subinde amplificata, et πολυμερῶς καὶ πολυτρόπως, (*Hebr. I.1.*) modo immediate, modo mediate, luculentius est explicata.

§. III.

Quoties autem eiusmodi *specialis* reuelatio facta est, primum illi, quibus contigit,
B de

de diuina eius origine et auctoritate ex interna mentis conuictione, et reuelationis argumento sanctissimo, modoque prorsus diuino, certissimi fuerunt: (*Conf. 2. Sam. XXIII. 2.*) tum etiam alii ex conuenientia doctrinae cum veritate iam agnita perspectaque, (*Deut. XIII. 1-4.*) nec non ex vaticiniorum complemento (*Deut. XVIII. 21. 22. Ier. XXVIII. 8. 9.*) reuelationem illis vere diuinam factam esse, cognoscere potuerunt.

§. IV.

Specialis haec reuelatio primum ab Adamo vsque ad Mosen viua voce est propagata. Sed cum (1) longaeuitas hominum decrementa; (2) supersticio autem et idolatria incrementa sumeret maxima; et (3) gentium dispersio facta esset: Sapientissimum ac benignissimum numen eandem per viros Θεοπνεύστου literarum monumentis consignari curauit. Quapropter nulla amplius in rebus, quae ad fidem christianam vitamque recte instituendam pertinent, a Deo est exspectanda specialis reuelatio.

§. V.

Habetur itaque specialis illa reuelatio in *scriptura sacra*, sive in *libris a Mose et prophetis in veteri testamento hebraeo, et ab euangelistis atque apostolis in nouo testamento graecis*

graeco idiomate, ex inspiratione Spiritus sancti conscriptis, quippe in quibus ea continentur omnia, quae homini peccatori ad contritionem, fidem in Christum, et sanctimoniam vitae sunt necessaria, ut ad vitam aeternam perueniat.

§. VI.

Hosce libros ex *inspiratione Spiritus sancti*, quae a *reuelatione* probe recteque est discernenda, conscriptos, et vere diuinos esse, (*2. Tim. III. 16. 2. Petr. I. 21.*) ita, ut non solum res ignotae scriptoribus sacris reuelatae, verum etiam res notae pariter ac ignotae illis in scribendo a Spiritu S. suggestae, aptissimique verborum conceptus suppeditati fuerint, (*Matth. X. 19. 20.*) omnis ut expertes essent erroris, non vnius generis dñosci et probari potest argumentis.

§. VII.

Quae *fidem* gignunt *humanam*, sunt argumenta, vel *philologica*, (1) a styli simplicitate, summa cum grauitate coniuncta, (2) argumentique prorsus singularis veritate, sanctitate, et sufficientia, desumpta: vel *historica*, quae (1) a doctrinae christianaee antiquitate, lubita propagatione, ac mirabili conseruatione; (2) lcriptorum sacrorum *agionis* et miraculis; (3) totius ecclesiae atque martyrum, quin et extraneorum testimonio;

B 2

nec

nec non (4) poenis persecutorum desumuntur.

§. VIII.

Quod autem fidem diuinam producit, vnicum est argumentum, interna scilicet Spiritus sancti, in nobis per verbum reuelatum testantis, operatio, qua mentes hominum in legitimo verbi diuini usu ad assensum supernaturalem trahuntur. (*Matth. VII. 28. Luc. XXIV. 32. Ioh. IV. 42. VII. 40. 41. I. Thess. II. 13.*) Et in hanc etiam assensus, quem scripturae sacrae praebemus, vltimo resolui debet, non in ecclesiae auctoritatem.

§. IX.

Ea enim inest scripturae sacrae efficacia supernaturalis et plane diuina, vt, nisi malitiosa cordis durities obstet, fidem aliosque effectus spirituales in animis hominum producere possit. (*Ief. LV. 10. II. act. XVI. 14. XXVI. 18. Rom. I. 16. I. Petr. I. 23. Iac. I. 18.*)

§. X.

Et haec scriptura *perfecta* est, tum intuitu *partium*, quia nullus liber canonicus, imo ne minima quidem pars alicuius libri canonici prorsus intercidit, nec vniuersalis corruptio codicis sacri probari potest: tum maxime intuitu *doctrinae*, quia ex ea, reiectis traditionibus, plene hauriri possunt omnia, quae ho-

homini salutem aeternam consecuturo, scitu, creditu, factuque sunt necessaria. (*Ioh. XX. 31. 2. Tim. III. 16. 17.*) Quamuis enim non omnia fidei morumque dogmata in illa secundum literam et totidem verbis continentur: nullum tamen dogma est scitu factuque necessarium, quod vel verbis aequipollentibus in illa non tradatur, vel per bonam et facilem consequentiam ex ea elici ac cognosci non possit. Quicquid vero ex Dei verbo deducitur, diuinum merito est reputandum.

§. XI.

Eadem, non quidem intuitu rerum, attamen verborum, ob argumenti sublimitatem, finemque suum obtinendi necessitatem, *perspicua* esse debet, et re vera adeo perspicua est, ut quilibet necessariis naturae ac gratiae donis instructus, omnia doctrinae christianae capita facili negotio ex illa percipere, (*2. Tim. III. 15. Ps. CXIX. 105. 2. Petr. I. 19.*) et in locis obscurioribus, mediante vnu regularum hermeneutarum, praesertim scripturam ex scriptura explicando, verum ac genuinum sensum eruere possit.

§. XII.

Eadem denique in linguis suis originalibus recte intellecta, *auctoritate* pollet *canonica*, seu *normali*, ita, vt vnica sit regula fidei

vitaeque christiana, (*Gal.I.6-9.*) et omnes
quaestiones theologicae ad illam sint exigen-
dae, atque ex illa diiudicandae. Quicquid enim
Spiritus sanctus, tanquam supremus iudex,
per scripturam sacram definiuit, ab omnibus
christianis, et praesertim ab ecclesiae docto-
ribus, ad speciales quaestiones rite applicari
potest, debetque, ut alio controuersiarum iu-
dice non indigeamus.

§. XIII.

Quinam libri sint *canonici*, et in perpetuum
ecclesiae usum diuinis auspiciis traditi ac
constituti, partim ex criteriis iam expositis,
(§. VII. VIII.) partim etiam ex eius ecclesiae,
quae aetate scriptorum sacrorum existit, te-
stimonio cognosci potest. Quo etiam idio-
mate ex diuina inspiratione consignati sint,
optime testari potest ecclesia, cuius testimo-
nium prouida Dei cura ad nos peruenit.

§. XIV.

Hinc *canonem veteris testamenti*, qui li-
bros hebraea lingua maximam partem con-
scriptos, et in *legem, prophetas atque hagi-
ographa* distinctos, complectitur, ab Esra con-
stitutum esse: libros autem *euangelistarum*
et *apostolorum*, graeco sermone scriptos, om-
nes canonicos esse, non est, quod dubite-
mus. Et posteriores ab ipso Ioanne aposto-
lo

lo collectos, et in canonem redactos esse, a
veritate non alienum videtur.

§. XV.

Libris autem, qui *apocryphi* V.T. appellantur, et testimonio primae ecclesiae, iudaicae aequae ac christianaec destruuntur, hanc potissimum ob causam, quod plurima in illis occurrant veritati minus consentanea, auctoritas diuina et canonica vindicari non potest.

§. XVI.

Et haec scriptura cum iussu diuino in omnium omnino hominum usum literis consignata sit, ab omnibus etiam legi potest, et debita ratione debet, si modo legere queant (*Iob. V.39.*) : utque a pluribus legi possit, in omnes omnium linguis vernaculas iure meritoque vertenda est, quamquam versio non facile confici possit, quae textui originali in omnibus accurate respondeat; nec illa versio, multo minus vulgata, pro authentica sit habenda.

§. XVII.

Inuestiganda denique in sacris literis sunt primum ea, quae in illis commemorantur, omnia; maxime vero, quae creditu factu-

que sunt necessaria. Scriptum enim est verbum Dei, vt homo peccator ad fidem in Christum perducatur; (*Ioh. XX. 31.*) de faciendis et fugiendis perfecte instituatur; (*Rom. XV. 4. 2. Tim. III. 16. 17.*) in rebus aduersis ex illo solatium capiat; (*Pf. CXIX. 92.*) et in ordine salutis a Deo praescripto, aeternae felicitatis particeps reddatur. (*Ioh. l.c. et VIII. 31. 32. 51.*)

§. XVIII.

Absit ergo a nobis, vt reuelationem diuinam vel reiiciamus, vel perperam iactitemus, vel rationis imperio, aut ecclesiae auctoritati subiiciamus: vt rationem, aut traditiones ei adiungamus, vel quempiam a lectio-
ne scripturae arceamus: vt denique perfectio-
nem ac sufficientiam eius in dubium voce-
mus. Diuinas potius literas sunimo in pre-
tio habeamus, diligenter legamus, pie scruti-
temur, recte interpretemur, et in succum
ac sanguinem ita conuertamus, vt ex illis
voluntatem Dei, et ipsi magis magisque agno-
scamus, et alios rite docere queamus; vt
vita nostra secundum voluntatem diuinam
instituatur, nosque per consolationem scri-
pturae in spe vitae aeternae confirmemur.

TABV-

TABVLA SYNOPTICA.

I. De REVELATIONE SPECIALI agitur. §. I-IV. vbi

1. Definitio. §. I.

2. Initium et incrementum. §. II.

3. Certitudo

1. resp. eorum, quibus contigit.

2. - aliorum. §. III.

4. Modus, quo propagata fuit; vbi etiam scripturae
necessitas, et qu. an reuelatio specialis
hodie adhuc sit exspectanda, notatur. §. IV.

II. De SCRIPTVRA SACRA agitur §. V-XVIII. vbi

1. Definitio. §. V.

2. Θεοπνευσία

1. explicatur ac probatur. §. VI.

2. ex quibus argumentis cognosci possit, indica-
tur. §. VII. VIII.

3. Affectiones demonstrantur, nempe

1) efficacia. §. IX.

2) integritas et perfectio. §. X.

3) peripicuitas. §. XI.

4) auctoritas canonica, vbi not.

1. quid sit, quisue iudex controuersiarum.
§. XII.

2. quinam libri canonici, quibus auctoritas
illa competit. §. XIII. XIV.

3. libris apocryphis eam tribui non posse.
§. XV.

4. Finis cui ponitur, et duplex inde dicitur con-
fectarium:

1. scripturam s. esse ab omnibus legendam,

2. in omnes linguas vertendam. §. XVI.

5. Obiectum, et finis cuius. §. XVII.

6. Monita practica. §. XVIII.